

Auares enim nunc Bauari appellati ingressi Italiam per Venetia saltus: Gif sulphum obuuium factum: nec pugnam detrectantem: multis confectum uulneribus interficiunt: Et langobardi pene omnes ad internicionem cessi. Secundum id praelium Auares in Aliquot diuisi partes liburniam Venetiamque rapinis & incendiis longe lateque sedauere: Cacannus uero (sic. n. Auares reges appellant) Quum omnia circum oppida aut per uim: aut per deditionem recepisset: Cormonum: Osopum: Nemasum: Arceniam: Glemonam: obliginum: ad forum iulium ducit. In quod oppidum Gif sulphi coniugem cum omni Thesauro confugisse compererat: Mulier impudica Auare conspicata ob equitantes oppidi mœnibus. Crispo capillo: & Aurea chlamide fulgentem: exarsit in illius libidinem: neque diutius tulit: Quin se se cum urbe munitissima, Thesaurisque omnibus auaris fidei permetteret: Non fefellit omnino datam fidem auaris: semel illa abusus: Abi inquit in malam crucem impudica mulier: exple libidinem: Quam nec ætas prouectior: nec uidualis pudor: nec regale decus cohibere potuit: tuoque corpore dignis hominibus commiscere. Eam duodecim deinde auaribus in omne ludibrium abutendam prostituit. Palo deinde suffixit. Euertit ab ipsis radicibus oppidum: ut non solum instauratum sit nunquam: Sed ubi nam situm fuerit: nullis certioribus uestigiis: aut monumentis extet: Nisi quod dum in eam prouinciam legationis munere profecti: admiraremur interuisse nobilis oppidi uestigia: Dum scrutamur & incolas: & loca: tandem repertus est ingressu Alpium aliquo supra Tulmetium: uicus adhuc nobili ecclesia. Vbi pauimenta conspiciuntur musiuo opere depicta: Et lapides iuxta templum antiquis & magnis incisi litteris. Eius loci nomen quum quereremus: & Zulium respondissent: facile intelleximus locum esse quem querebamus: Et Zulium corrupto nomine pro iulio appellari. Illud est certum Plinio quoque teste: Iulienfes Carnorum gentem esse: siue carnis finitimam. Oppidi postea nomen uersum est in prouinciæ: patria foro Iuliana appellata. Hæc quæ audiuius uidimusque: non omittere placuit: tanquam de re & antiqua & obscura: Donec cerciora oppidi illius uestigia forte reperiantur. Cum autem peruincere Gradenses Antistites langobardi non possent: ut a Grado Aquileiam rediret: Deligunt ipsi sibi pontificem fortunatum quendam Arrhianum: non Cleri: non populi consensu: Nec expectata quidem summi pontificis auctoritate. Hic fortunatus langobardorum armis fretus: magna militum manu nauibus imposita: Gradum improviso adortus: ecclesiam diripit: Cæsis nonnullis: aliquot uulneratis: abacta in naues præda sese in fugam proripit. Hunc Honorius pontifex certior iniuriæ factus: tanquam hereticum deturbat pontificatu: Inque eius locum sufficit Primogenium gente Aretinum subdiaconum ecclesiæ Romanæ: sed neque huic pacatior extitit pontificatus. Nam ut illa sedes nunquam a langobardicis iniuriis conque-